

„approbatione, plurimi qui obedientiam Bonifacio
„præstabant, pro Indulgentiis anni Jubilæi consequen-
„dis de universis mundi partibus ad Urbem Romanam
„confluxerunt. Illi verò, qui de Regno Franciæ erant, &
„alii ejus obedientiam repudiantes hoc anno pro hujus-
„modi Indulgentiis Romam non venerunt, sed juxta
„primam ordinationem Clementis VI. anno Domini
„millesimo quadringentesimo, in maxima multitudine
„pro ejusdem Indulgentiis obtinendis Romam veni-
„entes Limina Sanctorum visitabant.

Grassabatur enim eo tempore schisma; sedentibus
duobus, qui se pro Pontifice gererent; altero Romæ sci-
licet Bonifacio IX. altero Avenione in Gallia Petro de
Luna qui dicebatur Benedictus XIII. hincque ut solum
legitimum Pontificem Galli & alii nonnulli agnosce-
bant; atque Urbanum & Bonifacium pro intrusis Pon-
tificibus habebant; ideoque alteratum ab ipsis Jubilæ-
um non agnoscebant.

XIV. Quin & post Concilium Constantiense & ex-
tinctum schisma, etiam Romana Ecclesia abjecit il-
lam Urbani novitatem, rediitque ad Decretum Cle-
mentis VI. Et ita fuit usque ad Paulum II. qui Jubilæi
„indulgentias esse voluit quovis anno vigesimo quinto.
„Hæc Lupus loco citato.

XV. Reductionem à Paulo II. factam confirmavit
Xystus IV. cujus constitutio infertur in *Extrav. QUEM-
ADMODUM De Pœnit. & Remiss. in Communib.* atque
una omnes quascumque Indulgentias etiam plenarias
adinstat Jubilæi quibuscumque Ecclesiis aut locis extra
Urbem, & sub quacumque forma à sede Apostolica non
concessas darate anno Jubilæo suspensas esse voluit, nec
interim alicui suffragari. Et ita etiamnum hodie vivimus

XVI. Verum Bonifacius IX. non tantum probavit
reductionem Jubilæi ad annum trigésimum tertium fa-
ctam per Urbanum VI. sed insuper anno Jubilæi Romæ
absoluto, easdem Indulgentias per modum Jubilæi ad
alias civitates extendit, de quo in citato Chronico Belgii
hæc leguntur pag. 333. „Postquam annus Jubilæus
„juxta constitutionem Urbani, & approbationem isti-
„tus Bonifacii transit, Dominus Bonifacius unum an-
„num sub anni Jubilæi urbis Romæ Indulgentiarum
„forma Colonienfi civitati concessit. Ità ut venientes
„Coloniam, vel ibidem habitantes, isto anno medi-
„ante visitationes certas Ecclesias ad hoc directas cum
„oblationibus suis, possent consequi Indulgentias,
„quæ visitantibus urbem Romanam in anno Jubilæo
„concessæ erant, videlicet plenissimam remissionem
„omnium peccatorum. Quo anno elapso, similis an-
„nus ab eodem Bonifacio sub eadem forma concessus
„est civitati Magdenburgensi. Et ad utramque hanc
„civitatem missus est Collector Papæ, qui certam par-
„tem recepit oblationum. Deinde Indulgentias simi-
„les concessit visitantibus alias nonnullas civitates Ger-
„manicæ ad certos menses. Unde in Misnia & Praga ex
„hujusmodi concessione concursus magnus populorum
„fuit. Deinde idem concessit multis locis Alemanniæ,
„ut visitantes certas istorum locorum Ecclesias conse-
„querentur Indulgentias similes, quæ erant quondam
„concessæ tali vel tali loco, seu tali vel tali Ecclesiæ,
„quæ in ipso privilegio concessionis exprimebantur.
„De quibus locis vel Ecclesiis fama vulgaris erat, quod
„ea vel eas visitantibus concessæ olim essent à Sede A-
„postolica Indulgentiæ plenissimæ. Prædictæ verò In-
„dulgentiæ non solum concedebantur in locis insigni-
„bus, sed in villis etiam non muratis, & in Monasteriis
„vel Ecclesiis suis in campis. Et in omnibus privilegiis
„concessionum prædictarum ponebatur clausula: *Por-
„rigentibus manus adjutrices.* Ità ut hujusmodi Indul-
„gentias, nisi qui ipsis locis vel Ecclesiis manum por-
„rigeret adjutricem, nemo consequi posse videretur.

Subjicit denique auctor: „Unde quidam concessio-
„nes hujusmodi non magni faciebant, ut quas lucro
„magis, quam ex zelo, tum institutas à Papa suscipi-
„bantur.

Illud equidem constat, nullum extare vestigium ex-
tensionis hujus Indulgentiæ siue Jubilæi ad alias civita-
tes ante Bonifacium IX. unde & communiter ipse hujus
extensionis auctor reputatur.

XVII. In citato Belgii Chronico 380. legitur: Anno
1450. sedente Nicolao V. fuit annus Jubilæus Romæ, &
magnus populus ex omni natione portexit Romam pro
Indulgentiis.

Deinde paucis interjectis prosequitur: „Anno se-
„quenti Dominus Nicolaus Papa ad instantiam illustri-
„ Ducis Burgundiæ Philippi, unum annum sub anni
„Jubilæi urbis Romæ Indulgentiarum forma concessit
„oppido Mechliniensi, ità ut venientes Mechliniam,
„vel ibidem habitantes, si illo anno durante certas Ec-
„clesias ad hoc decretas cum oblationibus suis visita-
„rent, consequi Indulgentias omnium peccatorum
„possent.

Ex his discimus, quod Nicolai V. tempore (id est
„sub medium seculi XV.) Jubilæa Indulgentia necdum
„ad omnes civitates, oppida & pagos extenderetur se-
„quenti anno, sed dumtaxat ad unam Regni aut Pro-
„vinciæ civitatem; & quidem ad preces Regiæ ac de-
„singulari gratia; uti rectè reflectit Lupus loco alle-
„gato pag. 632.

Hanc generalem ad omnes Ecclesias extensionem pri-
mus fecisse creditur Paulus II. an. 1464. ad Pontifica-
tum assumptus; qui ad Indulgentias & Gratias dandas
facillimus esse cepit; adeo, ut videns ex nimia sua faci-
litate penitentialem disciplinam non parum lædi suam
liberalitatem moderari debuerit per Constitutionem
quæ refertur in *Extrav. 3. De Pœnit. & Remiss. in
Comm.*

XIX. Refert præterea Belgici Chronici Compilator
pag. 380. & sequenti, quod sub dicto Nicolao V. eodem
anno 1451. venerit in Alemanniam tamquam Papæ Le-
gatus Nicolaus Cusanus Cardinalis; atque omnibus qui
in terminis suæ legationis habitabant, postquam ad ipsos
pervenerat, verè contritis & confessis, & qui ad cistas
in diversis Alemanniæ Ecclesiis de consilio suo & loci E-
piscoporum ordinatis certam pecuniæ summam juxta
bonorum suorum facultatem voluntariè in pios patriæ
illius usus mox convertendam contribuerunt concessit
„*Jubilæum*, id est, plenam omnium peccatorum rem-
„issionem.... „Ut autem omnem Clerum & devotum
„populum suæ Legationis redderet aptum ad hujusmo-
„di Indulgentias promerendas, certos Confessores in
„civitatibus constituit, qui sine pecunia, auctoritate
„Sedis Apostolicæ, etiam in casibus *reservatis* confi-
„tentes absolvent, dicens, non esse absolutos nec Ju-
„bilæi gratiam promereri, qui suis Confessoribus con-
„tra mandatum dare quidquam præsumerent.

Hinc colligitur, nec tempore Cardinalis Cusani li-
teris Jubilæi insertam fuisse hodiernam clausulam, quâ
omnibus Confessariis sit facultas absolvendi à casibus
reservatis, & commutandi vota, paucis exceptis.

Quæ omnia evincunt, etiam in hac Indulgentiarum
specie locum habere, quod capite præcedenti notavi-
mus, nimirum, in concedendis Indulgentiis postero-
res Pontifices longè fuisse liberales.

XX. Hactenus tamen nullus Pontificum Jubilæi In-
dulgentiam ad alias Ecclesias extenderat, nisi tantum
in anno qui sequebatur immediatè annum Jubilæi Ro-
mæ absolutum: ut qui Romæ Indulgentias lucrati non
essent, ex speciali gratia eas in suis Ecclesiis lucrari pos-
sent; neque nota erat alia indictio generalis Jubilæi ex
quacumque causa.

XXI. Primus qui Jubilæum indixit in initio suæ
assum-

assumptionis, ad implorandum Dei auxilium pro bono
regimine Republicæ Christianæ, videtur fuisse Sixtus
V. qui mox à sua ad Pontificatum assumptione, Bullam
Jubilæi publicavit; extatque in Bullario Romano to-
mo 2. pag. 490. neque alia anterior hujusmodi Jubilæi
indictio in Bullario occurrit; monetque simpliciter
Angelus Cherubinus Bullarii Collector: „Similem in-
„dictionem omnes ferè Pontifices promulgare solent,
„eas tamen præter hæc dumtaxat pro exemplo reten-
„ta; & aliâ addita Pauli V. Quibus haud obscure in-
„nuit, hanc indictionem à Sixto Quinto primum fa-
„ctam, à sequentibus Pontificibus in exemplum sum-
„ptam esse.

Nec tantum in initio Pontificatus ad implorandum
Divinam auxilium; sed etiam aliis ex causis subsequen-
tes Pontifices generale Jubilæum indixerunt; uti & mo-
derno Pontifex Innocentius XII. iteratò publicavit &
ad omnes Ecclesias misit.

XXII. Forma ac condiciones Jubilæi in Bulla Sixti
V. expressæ, eadem sunt quæ hodie in Bullis Jubilæi
exprimi solent: ut vel inde quoque verisimile sit, ipsam
primum subsequentibus Pontificibus exemplum dedisse.
Imprimis assignantur duæ hebdomadæ, in quarum
altera condiciones requisitæ impleri debent; nimirum
ut quis intra hebdomadam illam tribus diebus jejuet;
elemosynam, quantum pro sua facultate visum fuerit,
in pauperes eroget; atque unam ut minus Ecclesiam
ex designatis ab Ordinario visitet; atque ibidem oret,
ad finem in Bulla expressum; peccata sua omnia humi-

liter & contrito corde confiteatur; & Eucharistiam de-
votè accipiat.

XXIII. Circa modum & rationem hæc fructuosè ad-
implendi, populus à Parochis, occasione occurrente,
rite instruendus est; atque eum in finem Parochis con-
ducere poterunt litteræ Pastorales, quas S. Carolus
scriptis & emisit occasione Jubilæi concessi à Gregorio
XIII. Ecclesiæ Mediolanensi anno 1576. postquam sci-
licet anno præcedenti, qui erat annus 25. jam pro
tertia vice seculo illo recurrens, annus *Jubilæus Ro-
mæ* erat absolutus. Nec enim adhuc hæcenus Indul-
gentiæ Jubilæi alio tempore aliis Ecclesiis fuerant
concessæ. Extant hæc litteræ in actis Ecclesiæ Medio-
lanen. pag. 936.

XXIV. Ad hæc ut fideles ad prædicta omnia peragen-
da magis idonei efficiantur, conceditur omnibus Fide-
libus, ut possint hac vice, vigore Jubilæi eligere Con-
fessarium siue secularem, siue Regularem ab Ordinario
approbatum, qui audita ejus Confessione, possit eum
quibuscumque criminibus, quacumque ratione refer-
vatis; ac etiam à sententiis, censuris, & pœnis Ecclesi-
asticis per eum quomodolibet incurtis, inuncta ei pro
culpæ modo penitentia salutari, absolvere in foro con-
scientiæ dumtaxat; ac quæcumque per eum emissa vo-
ta (præterquam castitatis & Religionis) in alia pietatis
opera commutare valeat.

Plures occasione hujus potestatis Confessariis factæ
quæstiones præsertim apud Theologos Scholasticos
moventur quarum decilio ibidem videri poterit.

TITULUS VIII. De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

De Materia, Forma, & Partibus inun- gendis.

1. *Extrema Unctio est verum Sacramentum.*
2. *Effectus hujus Sacramenti.*
3. *Materia oleum ab Episcopo benedictum.*
4. *Quando oleum benedicatur; & quo ritu à Paro-
chis accipiatur?*
5. *Quomodo oleum benedictum sit servandum; & annis
singulis renovandum?*
6. *Apud Græcos oleum etiam à Presbyteris benedicuntur.*
7. *Quæ hujus disciplina origo?*
8. *Ecclesia Latina hanc disciplinam Græcorum non im-
probat.*
9. *Quæ ratione Synodus Tridentina dixerit materiam
esse oleum ab Episcopo benedictum?*
10. *Forma hujus Sacramenti ex Decreto Eugenii IV. &
Synodi Tridentinae, & Prescripto Ritualium.*
11. *Hæc forma non est necessaria ex institutione Divina.*
12. *Eam nunquam adhibuit Ecclesia Græca.*
13. *Ecclesia Latina multis seculis eandem ignoravit, &
formam indicativam fuit usæ.*
14. *Forma Ambrosiana erat indicativa; atque usque ad
præteritum seculum in quibusdam Ecclesiis Latinis
usitata fuit.*
15. *Usus antiquus forma indicativæ non repugnat De-
creto Concilii Tridentini; neque eam Synodus impro-
bavit.*
16. *Christus nullam specialem formam hujus Sacramen-
ti instituit.*
17. *Partes inungendas Apostolus Jacobus non expres-
sit.*
18. *Non constat primis seculis plures corporis partes
fuisse inunctas.*

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

19. *Seculo VI. moris fuisse videtur peccus tantum inun-
gere.*
20. *Septimo seculo ceperunt plures inungi; sed non ea-
dem ubique.*
21. *Aliquando moris fuit, ut pars magis affecta inunge-
tur: & quæ hujus ratio, & quare postea vetitum?*
22. *Circa ritum inungendi pridem fuit Ecclesiarum va-
rietas.*
23. *Synodus Tridentina Ecclesia Romana ritum proban-
do, aliarum Ecclesiarum alios ritus non reprobavit.*
24. *Quæ partes ex prescripto Ritualis Romani inun-
genda.*
25. *An ultra quing. sensuum organa alie partes sint ne-
cessario inungenda?*
26. *Quomodo hodie in partium unctione forma pronun-
tianda?*
27. *In morbis contagiosis & morte imminente quid ser-
vari velit manuale Cameracense?*
28. *Non facile omittenda inunctio quing. sensuum orga-
norum.*



Synodus Tridentina Sess. 14. De Sa-
cramento Extremæ Unctionis inter alia
dedit Can. 1. „Si quis dixerit Extre-
„mam Unctionem non esse verè &
„proprie Sacramentum à Christo Do-
„mino nostro institutum & à Beato Ja-

cobo Apostolo promulgatū; sed ritum tantum acceptū
„à Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

II. Deinde Can. 2. effectum hujus Sacramenti astruit
his verbis: „Si quis dixerit, Sacram infirmorum Uncti-
„onem non conferre gratiam, nec remittere peccata,
„nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tan-
„tū fuerit gratia curationum; anathema sit.

III. Eugenius IV. in Instructione pro Armenis ma-
teriam hujus Sacramenti dicit esse Oleum Olivæ

L1

per

per Episcopum benedictum. Idem docet Synodus Tridentina citata ſeſſione cap. 1. ubi relatis verbis Jacobi Apoſtoli ex Epistoſa Canonica cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum, UNGENTES eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Immediatè subjicit: „Quibus verbis, ut ex Apoſtolica Traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium Ministrum & effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse *Oleum ab Episcopo benedictum.*

IV. Oleum hoc dictum *Infirmorum* semel in anno juxta ritum Ecclesie Latine benedicitur ab Episcopo inter Missarum solemnias feria V. in Cena Domini.

Illud quoque annis singulis, eodem ritu quo sacrum Chriſma (de quo supra tit. 3. cap. 3.) Parochi singuli accipiunt; nec Sacramentum hoc sine Oleo sic benedicto administrare possunt.

V. Unde passim Ritualia conformiter ad Rituale Romanum præcipiunt: „Habeat Parochus loco nitido & decenter ornato in vaso argenteo seu stanneo, diligenter custoditum sacrum Oleum Infirmorum, quod singulis annis feria V. in Cena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate super infuso, reparari poterit.

VI. Testatur Jacobus Goartius in notis ad Rituale Græcorum pag. 436. notâ 22. „Cum Sacerdotalis sit ministerii ægrotos oleo sacro linire, usu consentiente factum esse, ut non à Græcis Pontificibus, sed à Sacerdotibus consecratum, & quoties urget necessitas renovatum & recens benedictum huic Sacramento conferendo proferatur.

VII. Benedicit quidem & ipse Episcopus ritu Græcorum feria V. in Cena Domini Sacrum Oleum; sed mox post factam benedictionem, totum Oleum benedictum consumitur: nam more Græcorum, „cuncti accessuri ad Sacram Sinaxim in peccatorum expiationem sese ungentes offerunt; & Episcopus ipse primus omnium Oeconomi manu Unctionem suscipit; quem deinde omnes alii sequuntur, & ab Episcopo ungentur,“ ait ibidem.

Hac itaq; unctione quantumvis tantum *ceremoniali* cum oleum totum consumitur, facultatem illud denuo consecrandi privato cuicumque Parocho ipsi Pontifices tacite, ex antiquo more videntur remittere. Itâ Goartius.

VIII. Quidquid sit de origine hujus moris, hoc constat, Ecclesiam Latinam numquam improbalſe hanc Græcorum consuetudinem: imò eam sat aperte probavit Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos qua inter cætera dicit: „Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter Chriſma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere: cum ejusmodi Olea ab eis, in ipsa Oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur & benedicantur.

IX. Hinc ulterius statue, Synodum Tridentinam, non eo sensu, *Oleum ab Episcopo benedictum* materiam hujus Sacramenti reputale, quasi ex institutione divina sine hujusmodi Oleo conferri hoc Sacramentum validè non possit; sed dumtaxat, eam esse veram & sufficientem; ac etiam necessariam, spectata scilicet Ecclesie Latine consuetudine.

X. Formam hujus Sacramenti hanc esse dicit Decretum Eugenii IV. *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam in dulgeat sibi Domi-*

nus quidquid per usum deliquisti. Et similiter in aliis membris.

Eandem assignat Synodus Tridentina citato cap. 1. eamque omnia Ritualia proponunt, & à Sacerdotibus exactè observari præscribunt: neque aliam hodie agnoscit Ecclesia Latina.

XI. Cæterum quod circa materiam supra notatum est, id quoque circa hanc formam notandum; nimirum, eam non ita huic Sacramento ex institutione Divina esse essentialem, ut sine illa numquam Sacramentum validè conferri posset aut potuisset.

XII. Imprimis certum est, Ecclesiam Græcam nec hodie uti, nec umquam usam fuisse hac formula: & tamen Ecclesia Latina numquam de validitate collati hujus Sacramenti cum forma à Græcis usitata, ipsis quaestione movit.

XIII. Ad hæc constat, in Ecclesia Latina hanc formam antiquitus usitam non fuisse. Et quidem in Sacramentario S. Gregorii apud Hugonem Menardum pag. 251. legitur sub hoc titulo, *oratio ad infirmum ungentium*: „Inungo te de oleo sancto sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operate creatura olei in nomine Patris Omnipotentis; ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed in te habitet virtus Christi altissimi, & Spiritus Sanctus per eundem.

Ad quæ verba reflectens ipse Menardus in notis pag. 332. ait: „Olim forma hujus Sacramenti fuit *indicativa*, ut hic apparet, (quamvis hic appelletur *oratio*, sed improprie, vere etenim oratio non est) & clarè constat ex codicibus MSS. Ratoldi & Tiliani, monasterii S. Remigii & Manuali excuso Ecclesie Sueffionensis, quæ *indicativam* habent, *deprecativam* ignorant. Hæc ille: qui contextum dictorum Codicum exhibet pag. 336. & sequentibus; in quibus nulla forma *deprecativa*, qualis est nostra hodierna, sed sola *indicativa* occurrit.

XIV. Ostendit insuper Menardus ibidem, formam Ambrosianam relatam à Sancto Bonaventura esse *indicativam*; eamque à Bonaventura aliiſque Antiquis Scholasticis non fuisse improbatam; adeoque crediderint, formam *deprecativam* non esse de substantia hujus Sacramenti ex institutione Divina; idque suppositum esse Facultatem Theologicam Parisiensem dum anno 1635. permisit sustineri publicè hanc positionem: *Etiam unica Olei unctione in necessitate, verbisque INDICATIVE prolatis perfici posse.* Sententiam Meardi probat quoque Morinus de Administrat. Sacramenti Penit. lib. 8. cap. 16. & novissime Joannes Lanojus in speciali libro de Sacramento Unctionis Infirmorum: qui ulterius probat, à multis Ecclesiis Illustrioribus formam *indicativam* usque ad proximè elapsum seculum retentam fuisse; ac tandem ubique *deprecativam* assumptam. Unde exponens quomodo sentim hæc mutatio contigerit.

XV. „Neque hæc doctrina [ait Menardus] advertatur Concilio Tridentino cum ait *Sess. 14. cap. 1. Formam deinde esse illa verba, PER ISTAM UNCTIONEM &c.* nam Concilium *deprecativam* non ita aluit, ut rejiciat *indicativam*, quam olim in usu fuisse, luce meridiana clarius est; ut nec ita destruat per illa verba *per istam unctionem*, ut destruat formam Græcorum, quæ licet *deprecativa* sit, ejusmodi verba non tamen agnoscit.

Et revera, Synodum Tridentinam non improbalſe formam *indicativam* probat allegatus Lanojus; idque ex variis Manualibus, in quibus exhibetur forma *indicativa* editis post declarationem factam à Synodo Tridentina; & quidem ab Episcopis qui ipsi Synodo interfuerant.

XVI. Notat insuper Lanojus, Christum nullam specialem

specialem formam hujus Sacramenti instituisse; sed eam instituendi, libertatem Ecclesie suæ reliquisse. Meminit quidem Jacobus Apoſtulus *Orationis & Unctionis*; sed quibus verbis oratio fundenda; & quomodo aut qua verborum forma perficienda sit Unctio, non determinat: quare hæc arbitraria esse credidit Ecclesia: ideoque unusquisque in his Ecclesie suæ morem sequi tenetur.

XVII. Hæc Ecclesiarum varietas non tantum circa verba quibus orationes & sacra Unctio exprimi debent, intercessit; sed etiam circa partes corporis inungendas magna fuit Ecclesiarum diversitas: eo quod Jacobus Apoſtulus nullam partem corporis ungentam in particulari designaverit.

XVIII. Plurimos tam veteres, quam recentiores libros Ritualis & Sacramentarios, hanc diversitatem manifestè ostendentes profert Lanojus in citato libro sub hoc titulo, *Explicata Ecclesia traditio circa PARTES corporis, quæ ungentur in Sacramento Extremæ Unctionis cap. 1. Et cap. 2. Observat. 1.* ex allegatis monumentis concludit, nullum apud primorum seculorum auctores reperiri testimonium, quo probetur, antiquitus plures corporis partes inunctas fuisse.

XIX. Qui S. Eugendi vitam scripsit, tantum *unius* partis, scilicet *pectoris*, inunctæ meminit. „Vocato, ait, uno ad se de Fratibus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secretissime quoque sibi *pectusculum* petiit (ut moris est) inungi. Ergo tunc *moris* erat, *pectusculum* tantum inungere. Quod & in præfatione ad seculum primum Benedictinorum observat Mabillonius num. 97. Vixit autem S. Eugendus seculo VI.

XX. Deinde *observatione 2.* ex præallegatis libris Ritualibus concludit Lanojus, post tempora S. Gregorii paulatim invaluisse, ut plures corporis partes inungerentur; sed non eadem in omnibus Ecclesiis; imò in aliquibus quasdam debuisse inungi, quas in aliis inungi vitutum erat.

XXI. Constat in pluribus Latinis Ecclesiis visum fuisse, eam esse ungentam corporis partem, quæ *majori dolore* cruciaretur. Sic in Codice Tiliano apud Menardum pag. 340. legitur: „Et sic perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo & gutture & pectore, & inter scapulas, seu in loco ubi dolor plus imminet.

Hæc autem unctio suam habet rationem in Jacobi Apoſtoli verbis: *Et alleviabit eum Dominus*; sed anni jam plures sunt, cum hæc unctio ubique planè desit: ne forsitan videretur, *Unctio* hæc sacri olei ad medicinam corporis magis, quam animæ adhiberi.

XXII. Circa ritum ungenti Infirmum, non eadem quoque fuit semper Ecclesiarum disciplina: nam in quibusdam sub *unica* verborum formula omnes partes inungebantur; in aliis *singula* partes sub *diversa* verborum formula. In aliquibus etiam uno Sacerdote ungente, alius formam proferebat; uti notat Menardus pag. 332.

XXIII. Unde prudenter processit Synodus Tridentina, dum aliarum Ecclesiarum ritum non reprobando, simpliciter definiit: „Si quis dixerit Extremæ Unctionis ritum & usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apoſtoli; ideoque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni; anathema sit. *Can. 3.*

XXIV. Quo ad partes inungendas, ritum hodiernum Ecclesie Romanæ exhibet Rituale Pauli V. his verbis: „Quinque verò corporis partes præcipuè ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit, nempe oculi, aures, nares, os, & manus: attamen pedes etiam & renes ungenti sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur.

Van Espen *Intr. Eccl. P. II.*

titur: atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

XXV. Quoad quinque partes corporis, quæ sunt præcipua sensuum instrumenta, Rituali Romano consentiunt nostra Belgicæ; sed nullum præter hæc inungendum membrum præscribit Manuale Cameracense: & in dubiè horum unctio ad validitatem Sacramenti sufficit. Unde Pastorale Mechliniense, tametsi ultra inunctionem horum quinque membrorum, requirat etiam inunctionem pectoris & pedum, disertè tamen monet: Prioribus partibus inunctis, *Presbyteri animus quiescat, quod jam infirmus receperit Sacramentum.* Et in morbis contagiosis, & peste grassante dicit, *posse inungi TANTUM organa quinque sensuum.*

XXVI. Quoad formam in ipsa partium unctioe pronuntiandam vult Rituale Romanum, ut eandem ac integram formam ad *singulorum* membrorum unctioem Sacerdos pronuntiet; monetque „dum oculos, aures & alia corporis membra quæ *paria* sunt, Sacerdos ungit, caveatne altero eorum inungendo, Sacramenti formam priùs absolvat, quam ambo hujusmodi *paria* membra inunxerit.

Pastorale novum Mechliniense, tametsi in morbis contagiosis & peste grassante permittat tantum *quinque sensuum organa* inungi, vult tamen ad singulas unctioes dici integram formam, sensui qui inungitur accommodatam.

XXVII. Cameracense Manuale in morbis contagiosis ac peste grassante, atque insuper etiam morte urgente, permittit, „ut ungantur *celeriter* quinque sensuum organa in capite dicendo *semel*: Per istam sanctam Unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum &c.“ Quin & addit hoc Manuale: „Quod si tamen sit contagii vel mortis periculum, ut nec *confusa* partes ungi, nec illa forma pronuntiari possit; ungatur organum sensus magis ad unctioem expositum, dicendo: *Per istam sanctam Unctionem &c. quidquid deliquisti per quinque sensus tuos.*

Uterius ad vitandum contagium adjicit idem Manuale. „In rabidis ungatur pars ori vicina, ne saliva quæ inficiendi vim habet, tangatur. In pestiferis uti licebit virga oblonga oleo tincta quæ deinde comburatur, aut servanda purgetur.

XXVIII. In variis Diœcesibus moris est, ut etiam extra periculum contagii, unctio fiat non pollice, sed virgula.

Interim ex citato Manuali Cameracensi colligitur, ab auctoribus illius Manualis creditum fuisse, alicujus determinatæ partis unctioem ad Sacramenti validitatem requiri: At quia hoc certum non est, haud facile Sacerdotes quinque sensuum organorum inunctionem ob infectionis periculum, præsertim si propinquum non sit, omittere possunt; præcipuè iis in locis ubi Ritualia licentiam omittendi expressè non tribuunt.

CAPUT II.

Quibus & quando hoc Sacramentum administrandum?

1. Solis infirmis ex sententia Sancti Jacobi, & Traditione Ecclesie.
2. Ad confirmat Synodus Trid.
3. Quam gravis debeat esse infirmitas, incertum.
4. Non requiritur extrema omni convalescentia spe deserta.
5. Gravi extremam non requirunt.

L. 2

6. Hodi-